

BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

CARMEN VOTIVVM,

JN SOLENNI GRATIARVM ACTIONE,
DEO Ter Optimo Maximo,
Ob Sacros nuper honores,
Missæ, Officij, & Festi sub ritu duplici,
per totum Regnum Poloniæ celebrandi,

EXIMIO SERVO DEI

B. IOANNI CANTIO,

Regni Poloniæ, & Vnivers: Crac: Patrono,

A

SANCTISS: DOMINO NOSTRO,

JNNOCENTIO XI.

PONTIFICE MAXIMO,

Ad intercessionem Serenissimi, & Inuictissimi Principis,

JOANNIS III,

POLONIÆ REGIS

CONCESSOS,

A Generali Studio Vniuersitatis Crac: in Ecclesia Collegiata Diuæ ANNÆ INSTITVTA,

Per

M. STANISLAVM IOSEPHVM BIEZANOWSKI Leopol: in eadem Alma Vniversitate Philosoph: Doct: Collegam Minorem, Ordinarium Pöeseos Professorem,
deuotæ lætitiæ applausu luci publicæ

CONSECRATVM.

Anno Salutis 1680. die 14. Mensis Nouembris.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



CARMEN VOTIVVM.


EXpectata dies, ſolennibus orta triumphis,
Venit ab arcana ſerie, rerumq; profundo,
Iudicijs Diuina ſuis, quod clauſit abyſſus.
Diffluimus, rapimurq; animo, cordiſq; medulla
Non capit hoc breuiore ſinu; quod nectaris ingens
Copia, totq; annis vrget congeſta voluptas.
Nempè ſimul veniunt, gemini compendia ſecli,
Ad plauſus deducta nouos; vnoq; triumphant
Tot gemitus, tot vota die. ſtupet ipſa ſeipſam
Tot ſimul augmentis, & tantâ mole bonorum
Dulcè grauata dies. o flos, & gemma dierum!
In tua diffuſi ſolatia, mille coronis,
Milleq; purpureis te cingimus vndiq; nimbis;
Totaq; gemmarum Te grando, totus ab Indis
Aurifluo torrente latex, & fluctus inundat.
Eloquar, an ſileam? nam vocem gaudia tollunt,
Cor cytharam, linguamq; rapit. ſed rumpere fas ſit,
Lætitiæ dulces aditus, & dicere Io.
Io tryumphe! DEVS nobis hæc gaudia fecit;
CANTIVS vt ſacris qui nuper honoribus auctus,
Dona triumphalis retulit ſolennia feſti,
Sarmatico tandem celebratus in orbe triumphet.
Hoc agimus, cadimuſq; tui Rex Maxime Regum,
Ante Aras Templi, Maieſtatiſq; tremendo
Affuſi ſolio, quot viſcera, quotq; medullas
Pectoris, & caræ trahimus ſpiracula vitæ;

In de-

In deuota Tibi suspiria, lætaq; cordis
Barbita, festiuosq; sacræ testudinis hymnos,
Supplicibus votis, & totâ mente dicamus.
Tu bonitas immensa DEVS, Tu dulcis abyssus,
Rerum summus apex, & non effabile Numen,
Tu merus, atq; stupendus amor, mirabile dextrâ
Hoc opus, vt fecisse Tuâ, nutuq; probares
Æterno; seruata diu, nunc tempora nobis,
Ordine, quem capiat sapientia nulla, dedisti.
CANTIVS ille Tuus, niuei purissima cordis
Lilia, purus olor, vitæ florentibus annis,
Qui Tibi seruauit, canæ niuibusq; senectæ;
Innocui nunc est seruatus nominis à Te
Pontifici Summo; quo se nunc maximus Orbis
Christiadûm tollit; pietas quo Præsule sacrum
Illibata caput, cælorum nubibus infert.
Hæc manus illa fuit, rebus dignissima tantis;
Quâ Tibi, Summe DEVS, decreti nuper honoris
Imposuisse stolam placuit, candoris eburni
Palladis electo, Lechica de stirpe Patrono;
Cum petit augustis precibus, zeloq; calenti
Magnus Hyperborei populi, sceptriq; Monarcha,
Gratia pro DIVO suspirans ipsa IOANNE,
Rex Patriæ inuictum columen, Scutũq; IOANNES.
Gratia delegit, sic grati Principis omen,
Sangnine qui patrio lectus, de sanguiae nostro
Promeruit Diuos. Sic Purpura Sacra VIDONI
Principis, hoc vrgebat opus. quod in Arctica quondã
Regna superueniens, Romanæ Sedis ab axe
Legatus, seuasq; vices, Martemq; cruentum
Viderat heu! animo multum super illa dolente,
Quæ tulerat belli facies; solatia tandem
Nunc recipit, gaudetq; Virum de gente Polona,
Ferre triumphalem Diuorum more coronam.
Nec RADIVILLANæ poterat felicius vnquam
Euenisse decus Mitræ, rebusq; secundis;
Quam cordi Patriæ, solio, Regniq; coronæ,
 Inseruisse

Inseruisse nouam Diuino munere gemmam.
Hæc tua sunt, o Alme DEVS! quæ ponimus inter
Cœlestes operum titulos, & prospera rerum;
Pro quibus in sacris opobalsama fundimus Aris;
Lampade corda simul flammanti, thusq; Sabæum
Vrentes; vt grata tibi sit victima nostra,
Floreq; Virgineo gratus qui pascitur Agnus;
Liligeris manibus, quem Præsul OBORSCIVS offert,
Continuans, quod cœpit opus. lætissimus ipse,
Propitius votis quod iam respondeat æther;
Sudatosq; diu quod iam properare labores,
Ad metam videat cælo plaudente beatam.
Ergò agite o animi! totis præcordia fibris
Pandite; dilatate sinus. vox publica cœlos
Intret, & Angelicis resonet permista choreis.
CANTIVS ad numeros veniat, totumq; fatiget
Mentis ebur, festiua tenens cum nectare plectra;
Quod iam per populos, trabeæ per Regna Polonæ
Divus eat, ritusq; sacros, & festa beatis
Plausibus insignita ferat. quod Filia Regum
Diua IAGELLONVM Pallas, Materq; togati
Doctorum Populi, tanta cum prole triumphet.
Ante Tuos Cineres, & sacri busta sepulchri,
Acclines sed cum prosternimur, atq; repansas
Tollimus in cœlum dextras, Pater Optime CANTI!
Quicquid habent hilares animæ dulcoris ab ipso
Fonte DEO, quicquid suauissima gaudia possunt;
Principio Tu redde suo, totumq; refunde
Rursus in immensam Summæ Deitatis abyssum.
Sedis Apostolicæ, per Te suprema potestas,
Principis, & Regni vitrix fortuna, salusq;
Pallas, & Vrbs Craci, Regalibus inclyta sceptris
Floreat æternum. Lechico sic CANTIVS Orbi,
Cantio dulcis eris, victoria, vita, triumphus.

